

maxime quia impio furore Christum occiderunt, in quo peccato aliorum occultorum peccatorum meritis excæcati sunt: et quod illius passio esset gentibus profutura, eadem prophetica contestatione prædictum est. Nec alia re magis claruit, illius gentis regnum et templum et sacerdotium et sacrificium et unctionem illam mysticam, quod *χριστου* græce dicitur, unde Christi nomen elucet, et propter quam reges suos Christos ipsa gens appellabat, non fuisse nisi prænuntiando Christo deputata, quam quod occisi Christi resurrectio posteaquam cœpit credentibus gentibus prædicari, illa omnia cessaverunt, nescientibus Romanis per quorum victoriam, nescientibus Judæis per quorum subjugationem factum est, ut illa cessarent.

CAPUT XIV.

Deus Hebræorum victis illis se victum non esse ostendit idolorum everione et gentium omnium ad ipsius cultum conversione.

XXI. **REM** sane mirabilem non advertunt pauci Pagani, qui remanserunt, Deum Hebræorum offensum a victis, nec receptum a victoribus, nunc prædicari et coli ab omnibus gentibus. Ipse est enim Deus Israël, de quo tanto ante Propheta plebem Dei sic allocutus est: « Et qui eruit » te, Deus Israël universæ terræ vocabitur¹. » Hoc factum est per nomen Christi venientis ad homines ex semine ipsius Israël, qui nepos fuit Abrahæ, a quo gens cœpit Hebræorum: nam et ipsi Israël dictum est: « In » semine tuo benedicentur omnes tribus terræ². » Hinc

¹ Isai. LIV, 5. — ² Gen. XXVIII, 14.

ostenditur Deus Israël, Deus unus qui fecit cœlum et terram, et res humanas juste ac misericorditer curat, ita ut nec præcludat justitia misericordiam, nec impediât misericordia justitiam, quod non ipse sit victus in hebræo populo suo, quia regnum sacerdotiumque ejus Romanis expugnandum delendumque permisit: quandoquidem per Christi Evangelium veri regis et sacerdotis, quod illo regno et sacerdotio futurum præfiguravit, nunc ipse Deus Israël ubique delet idola gentium: quæ utique ne deleantur, recipere sacra ejus Romani noluerunt, sicut receperunt deorum aliarum gentium, quas vicerunt. Ita et regnum sacerdotiumque propheticæ gentis abstulit, quia jam qui per eam promittebatur, advenerat: et romanum imperium, a quo gens illa victa est, per Christum regem suo nomini subjugavit, atque ad evertenda idola, propter quorum honorem sacra ejus recepta non erant, christianæ fidei robore ac devotione convertit.

XXII. Puto quia hæc de se futura, ut per tot Prophetas, et per cujusdam etiam gentis regnum ac sacerdotium prænuntiarentur, non magicis artibus fecit Christus, antequam esset in hominibus natus. Nam et illius jam deleti regni populus ubique dispersus mirabili Dei providentia, quamvis sine ulla unctione regis sacerdotisque remanserit, in quo chrismate Christi nomen apparet, tenet tamen reliquias quarumdam observationum suarum: Romana autem sacra illa de idolorum cultu nec victus ac subjugatus accepit, ut libros propheticos ad testimonium gerat Christi, ac sic de inimicorum codicibus probetur veritas prophetati Christi. Quid ergo miseri adhuc Christum male laudando se ipsos indicant? Si aliqua magica sub ejus nomine scripta sunt, cum vehementer his artibus Christi doctrina inimica sit; hinc potius intelligant quantum sit illud nomen, quo addito etiam illi qui contra ejus præ-

cepta vivunt, suas nefarias artes honorare conantur. Sicut enim diversis hominum erroribus multi etiam varias hæreses adversus veritatem sub ejus nomine condiderunt: ita sentiunt etiam inimici Christi, ad suadendum quod proferunt contra doctrinam Christi, nullum sibi esse pondus auctoritatis, si non habeat nomen Christi.

CAPUT XV.

Pagani Christum laudare compulsi, in ejus Discipulos contumeliosi.

XXIII. Quid quod isti vani Christi laudatores et christianæ religionis obliqui obtrectatores propterea non audent blasphemare Christum, quia quidam philosophi eorum, sicut in libris suis Porphyrius Siculus prodidit, consuluerunt deos suos quid de Christo responderint, illi autem oraculis suis Christum laudare compulsi sunt. Nec mirum, cum et in Evangelio legamus eum dæmones fuisse confessos¹: scriptum est autem in Prophetis nostris, « Quoniam dii gentium dæmonia². » Ac per hoc isti ne contra deorum suorum responsa conentur, continent blasphemias a Christo, et eas in Discipulos ejus effundunt: mihi autem videtur, quod illi dii gentium, quos philosophi Paganorum consulere potuerunt, etiamsi de Discipulis Christi interrogarentur, ipsos quoque laudare cogerentur.

¹ Luc. iv, 41. — ² Psal. xcvi, 5.

CAPUT XVI.

Apostoli de subvertendis idolis nihil a Christo vel a Prophetis diversum docuerunt.

XXIV. VERUMTAMEN isti ita disputant, quod hæc eversio templorum, et damnatio sacrificiorum, et confractio simulacrorum non per doctrinam Christi fiat, sed per Discipulorum ejus quos aliud, quam ab illo didicerunt, docuisse contendunt, ita volentes christianam fidem, Christum honorantes laudantesque convellere: quia utique per Discipulos Christi et facta et dicta Christi annuntiata sunt, quibus constat religio christiana, adhuc istis jam paucissimis, nec jam oppugnantibus, sed tamen adhuc mussitantibus inimica. Sed si nolunt credere Christum talia docuisse, Prophetas legant, qui non solum superstitiones idolorum everti præceperunt, verumetiam christianis temporibus hanc eversionem futuram prædixerunt. Qui si fefellerunt, cur tanta manifestatione completur? si verum dixerunt, cur tantæ Divinitati resistitur.

CAPUT XVII.

In Romanos qui Deum Israël solum rejecerunt.

XXV. VERUMTAMEN diligentius ab istis quærendum est, quemnam putent esse Deum Israël, cur eum colendum non receperint, sicut aliarum gentium deos, quas Roma-

num subegit imperium; præsertim cum eorum sententia sit, omnes deos colendos esse sapienti? Cur ergo a numero cæterorum iste rejectus est? Si plurimum valet, cur ab eis solus non colitur? si parum aut nihil valet, cur contritis eorum simulacris ab omnibus gentibus solus pene jam colitur? Nunquam hujus quæstionis vinculo eximi poterunt, qui cum majores et minores deos colant, quos deos putant, hunc Deum non colunt, qui prævaluit omnibus quos colunt. Si enim magnæ virtutis est, cur existimatus est improbandus? si parvæ nulliusve virtutis est, cur tantum potuit improbatus? Si bonus est, cur a cæteris bonis solus separatur? si malus est, cur a tot bonis unus non superatur? Si verax est, cur ejus præcepta respuuntur? si mendax est, cur ejus prædicta complentur?

CAPUT XVIII.

Hebræorum Deus a Romanis non receptus : quia se solum coli voluerit.

XXVI. POSTREMO quod volunt de illo sentiant. Numquid Romani etiam malos deos colendos non putant, qui Pallori et Febri fana fecerunt? Qui et ἀγῶνις dæmonas invitandos, et κῆρυξας dæmonas placandos monent? Quodlibet ergo de illo existiment, cur eum solum sibi nec advocandum nec propitiandum esse duxerunt? Quis est Deus iste vel ita ignotus, ut in tam multis diis solus adhuc non inveniatur; aut ita notus, ut a tam multis hominibus jam solus colatur? Nihil ergo restat ut dicant cur hujus Dei sacra recipere noluerint, nisi quia solum se coli voluerit, illos autem

deos gentium, quos isti jam colebant, coli prohibuerit. Sed hoc ipsum magis ab eis requirendum est, quemnam vel qualem putent esse istum Deum, qui noluerit coli deos alios, quibus isti templa et simulacra fecerunt; tantumque poterit, ut plus valeret ejus voluntas ad eorum simulacra evertenda, quam illorum ad ejus sacra non recipienda? Certe sententia illius eorum philosophi proditur, quem sapientissimum omnium hominum etiam oraculo fuisse firmarunt. Socratis enim sententia est, unumquemque deum sic coli oportere, quomodo se ipse colendum esse præceperit. Proinde istis summa necessitas facta est non colendi Deum Hebræorum; quia si alio modo eum colere vellent, quam se colendum ipse dixisset, non utique illum colerent, sed quod ipsi finxissent: si autem illo modo vellent, quo ipse diceret, alios sibi colendos non esse cernebant, quos ille coli prohibebat. Ac per hoc respuerunt unius veri Dei cultum, ne multos falsos offenderent; magis arbitrantes sibi obfuturam fuisse istorum iracundiam, quam illius benevolentiam profuturam.

CAPUT XIX.

Hunc esse verum Deum.

XXVII. SED fuerit ista vana necessitas, et ridenda timiditas: nunc quærimus quid de isto Deo sentiant homines, quibus placet omnes deos colendos esse. Si enim iste colendus non est, quomodo coluntur omnes, cum iste non colitur? si autem colendus est, non omnes colendi sunt: quia nisi solus colatur, iste non colitur. An forte dicturi sunt istum non esse Deum, cum illos deos dicant,

qui, sicut nos credimus, nihil possunt, nisi quod illius iudicio permittuntur; non ut alicui prosint, sed ut nec lædere valeant, nisi eos quos ita lædendos esse ille iudicat, qui omnia potest? Sicut autem ipsi coguntur fateri, minora certe quam ille potuerunt. Si enim dii sunt, quorum vates consulti ab hominibus, ut non dicam fefellerunt, proxima tamen privatis negotiis responderunt; quomodo non est Deus, cuius vates non solum ea quæ ad tempus consulebantur congrue responderunt, verumetiam unde non consulebantur de universo genere humano, atque omnibus gentibus ea tanto ante prædixerunt, quæ nunc et legimus et videmus? Si Deum dicunt, quo impleta Sibylla fata cecinit Romanorum; quomodo non est Deus, qui et Romanos et omnes nationes in se unum Deum per Christi Evangelium credituras, et omnia patrum suorum simulacra eversuras, sicut prænuntiavit, exhibuit? Postremo si illos deos dicunt, qui nunquam ausi sunt per vates suos contra istum Deum aliquid dicere; quomodo non est Deus, qui per vates suos istorum simulacra non solum everti iussit, verumetiam in omnibus gentibus eversum iri prædixit ab eis, qui illis desertis se unum colere juberentur, et jussi famularentur?

CAPUT XX.

Contra Deum Hebræorum nihil a Paganorum vatribus prædictum reperitur.

XXVIII. AUT legant si possunt, vel aliquam Sibyllarum, vel quemlibet aliorum vatum suorum prædixisse hoc

futurum, ut Deus Hebræorum Deus Israël ab omnibus gentibus coleretur; et quod eum cultores aliorum deorum recte antea respuissent; futuras etiam litteras Prophetarum ejus in auctoritate ita sublimes, ut his obtemperans etiam imperium Romanorum juberet deleri simulacra, monuisse etiam ne talibus præceptis obtemperaretur: legant ista, si possunt, ex aliquibus libris vatum suorum. Omitto enim dicere, quod ea quæ in illorum libris leguntur, pro nostra, hoc est, christiana religione testimonium dicunt, quod a sanctis Angelis, et ab ipsis nostris Prophetis audire potuerunt: sicut et præsentem in carne Christum etiam dæmonia coacta sunt confiteri¹. Sed hæc omitto, quæ cum proferimus, a nostris ficta esse contendunt: ipsi omnino, ipsi urgendi sunt, ut proferant a vatribus deorum suorum contra Deum Hebræorum aliquid prophetatum; sicut nos tot et tanta de libris Prophetarum nostrorum contra deos eorum et jussa observamus, et prædicta recitamus, et facta monstramus. Quæ illi jam perpauca qui remanserunt, malunt dolere completa, quam illum Deum agnoscere, qui potuit prænuntiare complenda: cum in suis diis falsis, quæ sunt vera dæmonia, nihil aliud pro magno appetant, quam cum aliquid eorum responsis sibi futurum esse didicerint.

¹ Marc. 1, 34, et Luc. 11, 41.

CAPUT XXI.

*Hic solus Deus colendus qui cum alios coli prohibeat,
coli non prohibetur ab aliis.*

XXIX. QUÆ cum ita sint, cur non potius miseri intelligunt illum esse Deum verum, quem sic vident a suorum deorum societate sejunctum, ut quem Deum fateri coguntur, qui omnes deos colendos esse profitentur, cum cæteris colere non sinantur? Cum ergo simul coli non possint, cur non ille eligitur, qui istos coli vetat, relictis istis qui illum coli non vetant? Aut si vetant, legatur. Quid enim magis populis eorum in templis eorum debuit recitari, ubi nihil unquam tale personuit? Et utique prohibitio tam multorum contra unum, quam unius contra tam multos, notior et potentior esse deberet. Nam si hujus Dei cultus est impius, inutiles sunt dii, qui homines ab impietate non prohibent: si vero pius est hujus cultus, quoniam in illo præcipitur ne isti colantur, impius est cultus eorum. Si autem tam diffidenter istum coli prohibent, ut plus audiri timeant, quam prohibere audeant; hoc ipso quis non sapiat, quis non sentiat illum esse potius eligendum, qui istos coli tam publice prohibet, qui eorum simulacra evertijussit, prædixit, evertit, quam istos, quos ut ille non colatur, jussisse nescimus, prædixisse non legimus, valuisse aliquid non videmus? Rogo respondeant quis est Deus iste, qui omnes deos gentium sic persequitur, qui omnia eorum sacra sic prodit, sic extinguit?

CAPUT XXII.

Opinio gentium de Deo nostro.

XXX. Quid interrogem homines, qui evanuerunt cogitando quis iste sit? Alii dicunt, Saturnus est: credo propter sabbati sanctificationem, quia isti eum diem Saturno tribuerunt. Varro autem ipsorum, quo doctiorem apud se neminem inveniunt, Deum Judæorum Jovem putavit, nihil interesse censens quo nomine nuncupetur, dum eadem res intelligatur: credo illius summitate deterritus. Nam quia nihil superius solent colere Romani quam Jovem, quod Capitolium eorum satis aperteque testatur, eumque regem omnium deorum arbitrantur; cum animadverteret Judæos summum Deum colere, nihil aliud potuit suspicari quam Jovem. Sed sive qui Saturnum, sive qui Jovem Deum Judæorum putant, dicant quando Saturnus prohibere ausus est coli alterum Deum; nec ipsum Jovem, qui eum regno expulisse perhibetur, patrem filius? Qui si tanquam potentior et victor placuit cultoribus suis, Saturnum victum expulsumque non colant. Sed neque istum coli Jovis prohibuit; et quem vincere potuit, deum tamen esse permisit.

CAPUT XXIII.

De Jove et Saturno quid nugati sint Pagani.

XXXI. ISTE, inquit, fabulæ sunt aut interpretandæ a sapientibus, aut ridendæ: nos autem Jovem colimus, de quo ait Maro, *Jovis omnia plena*¹, id est, omnia vivificantem spiritum. Merito ergo et Varro Jovem opinatus est coli a Judæis, quia dicit per Prophetam « Cœlum et » terram ego impleo². » Quid illud quod idem Poëta dicit æthera, quomodo accipiunt? Sic enim ait:

Tum pater omnipotens fœcundis imbribus æther,
Conjugis in gremium lætæ descendit³.

Ætherem quippe non spiritum, sed corpus esse dicunt sublime, quo cœlum super ærem distenditur. An Poëtæ conceditur nunc secundum Platonicos, ut non corpus sed spiritus, nunc secundum Stoïcos loqui, ut corpus sit Deus? Quid igitur in Capitolio colunt? Si spiritum, si denique ipsum cœlum corporeum, quid illic facit scutum illud Jovis, quod appellant Ægida? Nempe origo nominis hujus ita redditur: quia Jovem a matre occultatum capra nutrit: an et hoc Poëtæ mentiuntur? Numquid et Capitolia Romanorum, opera sunt Poëtarum? Quid sibi autem vult ista non poëtica, sed plane mimica varietas, deos secundum philosophos in libris quærere, secundum Poëtas in templis adorare?

XXXII. Sed numquid etiam ille Euhemerus poëta fuit, qui et ipsum Jovem et Saturnum patrem ejus, et Pluto-

¹ Eclog. III, 60. — ² Jerem. XXIII, 24. — ³ Georg. II, 324 et 325.

nem atque Neptunum fratres ejus, ita planissime homines fuisse prodit, ut eorum cultores gratias magis Poëtis agere debeant, quia non ad eos dehonestandos, sed potius ad exornandos multa finxerunt? quamvis et ipsum Euhemerum ab Ennio poëta in latinam linguam esse conversum Cicero commemorat¹. Numquid et ipse Cicero poëta fuit, qui eum, cum quo in Tusculanis disputat, tanquam secretorum conscium admonet dicens, *Si vero scrutari vetera, et ex eis quæ scriptores Græciæ prodiderunt, eruere coner, ipsi illi majorum gentium dii qui habentur hinc a nobis profecti in cœlum reperientur. Quære quorum demonstrentur sepulcra in Græcia: reminiscere, quoniam es initiatus, quæ tradantur mysteriis: tum denique quam hoc late pateat intelliges*². Hic certe istorum deos homines fuisse satis confitetur, in cœlum autem pervenisse benevole suspicatur: quanquam et hunc honorem opinionis ab hominibus eis esse delatum, non dubitavit publice dicere, cum de Romulo loqueretur. *Qui hanc urbem, inquit, condidit, Romulum ad deos immortales benevolentia fama que sustulimus*³. Quid igitur mirum est, si hoc fecerunt antiquiores homines de Jove et Saturno et cæteris, quod Romani de Romulo, quod denique jam recentioribus temporibus etiam de Cæsare facere voluerunt? Quibus et Virgilius adulationem carminis addidit, dicens:

Ecce Dionæi processit Cæsaris astrum⁴.

Videant ergo ne forte historica veritas sepulcra falsorum deorum ostendat in terra: vanitas autem poëtica stellas eorum non figat, sed fingat in cœlo. Neque enim revera stella illa Jovis est, aut illa Saturni: sed post eorum mortem

¹ Cic. lib. I, de Natura Deorum. — ² Id. Tuscul. I. — ³ Id. in Gatilin. Orat. III. — ⁴ Eclog. IX, 47.

sideribus ab initio mundi conditis hæc nomina imposuerunt homines, qui illos mortuos quasi deos habere voluerunt. De quibus quid tantum mali castitas, aut quid tantum boni voluptas commeruit, ut inter astra, quæ cum sole et luna circumeunt, Venus habeat stellam, et Minerva non habeat?

XXXIII. Sed fuerit et Cicero Academicus incertior quam Poëtæ, qui sepulcra deorum commemorare ausus est, litterisque mandare: quamvis hoc non ex opinione propria præsumpserit, sed ex ipsorum sacrorum traditione commemoraverit. Numquid et Varro vel tanquam Poëta fingit, vel tanquam Academicus dubie ponit, quod dicit talium deorum sacra ex cujusque eorum vita vel morte, qua inter homines vixerunt vel obierunt, esse composita? Numquid et Leon ille sacerdos Ægyptius, Poëta vel Academicus fuit, qui Macedoni Alexandro, diversam quidem a Græcorum opinione istorum deorum originem, verumtamen ita prodit, ut eos homines fuisse declaret.

XXXIV. Sed quid ad nos? Dicant se Jovem, non hominem mortuum colere, nec homini mortuo Capitolium dedicasse, sed spiritui vivificanti omnia, quo mundus impletur, et scutum ejus in honorem nutricis ejus factum de pelle caprina, interpretentur ut volunt. Quid dicunt de Saturno? quem Saturnum colunt? Nonne ille est, qui primus ab Olympo venit,

Arma Jovis fugiens, et regnis exul adeptis,
Qui genus indocile et dispersum montibus altis
Composuit, legesque dedit, Latiumque vocari
Maluit, his quoniam latuisset tutus in oris?

Nonne ipsum ejus simulacrum, quod cooperto capite fingitur, quasi latentem indicat? Nonne ipse Italis ostendit agriculturam, quod falce demonstrat? Non, inquit:

¹ Æneid. viii. 320-323.

nam videris si fuit ille homo et rex quidam, de quo ista narrantur: nos tamen Saturnum interpretamur universum tempus, quod græcum etiam vocabulum ejus ostendit: vocatur enim χρόνος, quod aspiratione addita, etiam temporis nomen est: unde et latine Saturnus appellatur, quasi saturetur annis. Quid jam cum istis agendum sit, nescio, qui conantes in melius interpretari nomina et simulacra deorum suorum, fatentur majorem deum suum et patrem cæterorum tempus esse? Quid enim aliud indicant, quam omnes deos suos temporales esse, quorum patrem ipsum tempus constituunt?

XXXV. Erubuerunt hinc philosophi eorum recentiores Platonici, qui jam christianis temporibus fuerunt; et Saturnum aliter interpretari conati sunt, dicentes appellatum χρόνον velut a satietate intellectus, eo quod græce satietas κόρος, intellectus autem sive mens νοῦς dicitur: cui videtur suffragari et latinum nomen, quasi ex prima latina parte et græca posteriore compositum, ut diceretur Saturnus tanquam satur esset νοῦς. Viderunt enim quam esset absurdum, si filius temporis Jupiter haberetur, quem deum æternum vel putabant vel putari volebant. At vero secundum istam novellam interpretationem, quam veteres eorum si habuissent, mirum si Ciceronem Varronemque latuisset, Saturni filium Jovem dicunt, tanquam ab illa summa mente profluentem spiritum, quem volunt esse velut animam mundi hujus, omnia cœlestia et terrena corpora implentem. Unde illud Maronis est, quod paulo ante commemoravi, *Jovis omnia plena*¹. Numquid non, si possent isti, sicut ipsam interpretationem, ita etiam superstitionem hominum commutarent, et aut nulla simulacra, aut certe Saturno potius quam Jovi Capitolia constituerent? Neque enim ullam animam rationalem sa-

¹ Eclog. iii. 60.

pientem fieri disputant, nisi participatione summæ illius incommutabilisque sapientiæ, non solum cujusquam hominis animam, sed ipsius etiam mundi, quam dicunt Jovem. Nos vero, esse quamdam summam Dei sapientiam, cujus participatione fit sapiens quæcumque anima fit vere sapiens, non tantum concedimus, verum etiam maxime prædicamus. Utrum autem universa ista corporalis moles, quæ mundus appellatur, habeat quamdam animam, vel quasi animam suam, id est, rationalem vitam, qua ita regatur sicut unumquodque animal, magna atque abdita quæstio est: nec affirmari debet ista opinio, nisi comperta quod vera sit; nec refelli, nisi comperta quod falsa sit. Quid autem hoc ad hominem, etiamsi semper eum lateat? quandoquidem nulla anima fit sapiens vel beata ex alia quacumque anima, sed ex illa sola summa atque incommutabili Dei sapientia.

XXXVI. Romani tamen, qui non Saturno, sed Jovi Capitolium condiderunt; vel aliæ nationes, quæ Jovem præcipue supra cæteros deos colendum esse putaverunt, non hoc quod isti senserunt: qui secundum istam suam novam opinionem, et summas arces, si quidquam in his rebus potestatis habuissent, Saturno potius dedicarent; et Mathematicos vel Genethliacos maxime delerent, qui Saturnum, quem sapientum effectorem isti dicerent, maleficum deum inter alia sidera constituerunt. Quæ opinio tantum contra illos in animis humanis prævaluit, ut nec nominare illum velint, senem potius quam Saturnum appellantes: tam timida superstitione, ut jam Carthaginenses pene vico suo nomen mutaverint, Vicum senis crebrius, quam Vicum Saturni appellantes.

CAPUT XXIV.

*Non omnes Deos colunt, qui Deum Israël rejiciunt;
nec eum colunt qui alios colunt.*

XXXVII. NOTUM est ergo, quid colere convincantur, et quid colorare conentur adoratores simulacrorum. Verum et ab istis novitiis Saturni interpretatoribus requirendum est, quid de Deo sentiant Hebræorum. Etiam ipsis enim placuit omnes deos cum gentibus colere, cum eos superbos puderet pro peccatorum suorum remissione humiliari sub Christo. Quid ergo sentiunt de Deo Israël? Quem si non colunt, non omnes deos colunt: si autem colunt, non colunt sicut se coli jussit, quia et alios colunt, quos coli ille prohibuit. Per eos enim vates ista prohibuit, per quos hæc ipsa quæ nunc a Christianis eorum simulacra patiuntur, futura prædixit. Sive enim Angeli ad illos Prophetas missi sint, qui eis Deum omnium creatorem unum verum Deum, cui universa subjecta sunt, et per sensibilibus rerum congruam speciem figurate ostenderent, et quemadmodum se coli præciperet, indicarent; sive aliquorum in eis mentes per Spiritum sanctum ita sublimatæ sint, ut eo visu ea viderent, quo et ipsi Angeli vident: constat tamen eos illi Deo servisse, qui alios deos coli prohibuit: servisse autem fide pietatis in regno et sacerdotio reipublicæ suæ, et Christum venturum verum regem ac sacerdotem significantibus sacris.

CAPUT XXV.

Dii falsi alios coli secum non prohibent. — Deum Israël esse Deum verum convincitur ex operibus ejus et prædictis et impletis.

XXXVIII. PORRO autem in diis gentium, (quos isti dum colere volunt, illum qui cum istis coli non potest, colere nolunt,) dicant quid causæ est, ut nullus eorum inveniatur qui alterum coli prohibeat, cum eos in diversis officiis muneribusque constituent, et rebus ad quemque proprie pertinentibus præsidere esse velint. Si enim Jupiter non prohibet Saturnum coli, quia non est ille homo, qui illum hominem patrem de regno expulit, sed aut cœli corpus, aut spiritus implens cœlum et terram; et ideo non potest prohibere coli mentem supernam, ex qua dicitur emanasse: si ea ratione nec Saturnus Jovem coli prohibet, quia non ab eo rebellante superatus est, sicut ille a Jove nescio quo, cujus arma fugiens venit in Italiam; sed favet prima mens animæ a se genitæ: saltem Vulcanus prohiberet coli Martem uxoris adulterum, Hercules Junonem persecutricem suam. Quæ ista inter eos est tam fœda consensio, ut nec Diana virgo casta coli prohibeat, non dicam Venerem, sed Priapum? Nam si unus homo et venator et agricola esse voluerit, servus erit amborum: quibus tamen vel vicina templa fabricare erubescit. Sed interpretentur Dianam virtutem quam volunt, interpretentur et Priapum fœcunditatis deum, ita sane ut in fœtandis fœminis pudeat Junonem talem habere adiutorem. Dicant quod placet, interpretentur quod sapiunt; dum

tamen omnia eorum argumenta perturbet Deus Israël. Qui cum illos omnes coli prohibuerit, et a nullo eorum coli prohibitus sit, eorumque simulacris et sacris everSIONEM præceperit, prædixerit, fecerit; satis ostendit illos falsos atque fallaces, et se esse verum, ac veracem Deum.

XXXIX. Istos autem jam paucos deorum multorum falsorumque cultores, quis non miretur nolle obtemperare illi, de quo cum ab eis quæritur, quisnam sit Deus, quodlibet opinando respondent, Deum tamen esse negare non audent? quia si negent, operibus ejus et prædictis atque completis facillime convincuntur. Neque enim ea dico, quæ liberum sibi putant esse non credere, quia ipse in principio fecit cœlum et terram, et omnia quæ in eis sunt¹. Neque illa nimis antiqua, quod Enoch transtulit², quod impios diluvio delevit, quod Noë justum domumque ejus per lignum inde liberavit³. Ab Abraham in hominibus facta ejus exordior. Huic enim facta est per angelicum oraculum manifesta promissio, quam nunc videmus impleri. Huic quippe dictum est: « In semine » tuo benedicentur omnes gentes⁴: » ex cujus semine populus Israël, unde virgo Maria quæ peperit Christum, in quo benedici omnes gentes audeant jam negare si possunt. Hæc promissio facta est etiam ad Isaac filium Abrahæ⁵. Hæc et ad Jacob nepotem Abrahæ, qui etiam Israël appellatus est⁶, ex quo universus ille populus et propagatus et nominatus est, ut hujus populi Deus appellaretur Deus Israël: non quod ipse non sit Deus omnium gentium, sive nescientium, sive jam scientium; sed quia in isto populo voluit manifestius apparere virtutem promissorum suorum. Ille enim populus primo in Ægypto multiplicatus, et de illa servitute per Moysen in multis signis portentis-

¹ Gen. 1, 1. — ² Id. 7, 24. — ³ Id. VII, 10. — ⁴ Id. XXII, 18. — ⁵ Id. XXVI, 4. — ⁶ Id. XXVIII, 14.